

tiones post Communionem, eodem modo et ordine, ut in principio Missæ: et repetito Dominus vobiscum, dicitur, Ite Missa est, vel Benedicamus Domino, pro temporis ratione. Ite Missa est dicitur, quodcumque dictum est Gloria in excelsis. Cum non dicitur, ejus loco dicitur Benedicamus Domino. R. Deo gratias. In Missis defunctorum dicitur Requiescant in pace. R. Amen.

2. Dicto Placeat, datur Benedictio; quæ a Celebrante semper datur in Missa, præterquam in Missis defunctorum. Deinde legitur Evangelium s. Joannis, In principio, præmisso Dominus vobiscum, et Initium, ut moris est: quod Evangelium numquam prætermittitur in Missa, nisi quando fit de Festo in aliqua Dominica vel Feria, quæ habet Evangelium proprium, quod legitur ejus loco. Excipitur Dominica IV adventus, cujus Evangelium non legitur in fine Missæ, quando in ea occurrit Vigilia Nativitatis Domini, quia nec in Officio lectum est. In tertia Missa de die Nativitatis Domini, legitur in fine Evangelium de Epiphania Cum natus esset Jesus. Et in Dominica Palmarum in Missis privatis legitur Evangelium, quod ponitur in benedictione Palmarum, quod etiam lectum est in Officio. In Vigiliis, quæ occurrunt in Quadragesima, vel Quatuor Temporibus, non legitur Evangelium Vigiliæ in fine Missæ. Et similiter in Missis votivis numquam legitur in fine aliud Evangelium, nisi s. Joannis.

94. Annotatur circa evangelium in fine missæ: quod sicut evangelium proprium feriæ majoris, sic etiam evangelium vigiliæ extra quadragesimam et quatuor tempora legatur loco evangelii s. Joannis, exceptis festis 1 cl., in quibus nihil fit de vigilia. Item licet de vigilia in adventu nihil fiat in officio; extra quatuor tamen tempora ejus evangelium in fine missæ legendum est (1). 2º Quod per missas privatas

(1) S. R. C. 16 Feb 1781, n. 4252-4401, 4.

in dominica palmarum, in quarum fine legitur evangelium benedictionis palmarum, intelligantur omnes missæ, quibus non præmittitur benedictio palmarum. 3º Si evangelium dominicæ, feriæ aut vigiliæ idem sit cum evangelio festi; quod illud non repetatur in fine missæ, sed legatur evangelium s. Joannis (1). 4º Quod, quando dicuntur duæ missæ conventuales, de festo et de feria aut vigilia, in utriusque fine legatur evangelium s. Joannis, quia sicut in neutra fit commemoratio alterius, sic etiam in neutra aliud evangelium dicitur nisi s. Joannis (2).

Titulus XIV.

DE ORDINANDA MISSA EX SUPRADICTIS RUBRICIS.

Rub. Supradictis Rubricis cognitis, si quis velit ordinare Missam diei, recurrat ad Ordinarium Missarum de Tempore vel de Sanctis, secundum qualitatem officii. Si proprium non habeat, recurrat ad Commune sanctorum. Si de Feria agendum sit, et propria Missa non fuerit de Feria, dicatur Missa præcedentis Dominicæ, omissis Gloria in excelsis et Symbolo; præterquam Tempore Paschali, in quo semper dicitur, Gloria in excelsis, ut supra, excepta Missa Rogationum: et in Adventu prætermittitur Alleluja post Graduale cum suo Versu. Si dicenda sit Missa votiva, requiratur post commune Sanctorum suo loco. Si plures Orationes dicendæ sint, requirantur post Missas votivas suo loco de singulis rebus singulæ. Si pro defunctis dicenda sit Missa, habetur post Missas votivas, cum collectis diversis circa

(1) S. R. C. 5 Maji 1736, n. 3894-4044, ad tit. 26, d. 8; 4 Sept. 1773, n. 4218-4367; 27 Jan. 1877, n. 5681; Gardellini ad dec. 4399-4549, in not. ad 7.

(2) Quarti hoc loco.

finem Missalis. Ordo totius Missæ, cum Præfationibus, Canone, et aliis dicendis, habetur suo loco, cum proprio Missarum de Tempore

95. Annotatur, in feriis a septuagesima usque ad feriam quartam cinerum omitti tractum, quando repetitur missa dominicæ præcedentis (1).

An missa propria de sancto aut mysterio ab omnibus legi potest?

R. Affirmative, modo 1º a Summo Pontifice aut S. R. C. sit approbata, quia S. R. C. in decreto initio missalis prohibet omnino missas a S. R. C. non approbatas, et 2º modo sit pro ipso celebrante concessa. Inde sequitur :

1. Missale Romanum, cum generaliter approbatum sit, ab omnibus sive sæcularibus sive regularibus adhibendum esse, quandocumque celebrant in aliena ecclesia, in qua officium cum missa propria occurrit, nisi constet de speciali privilegio (2).

2. Sacerdotes sæculares missas approbatas pro certis regularibus, dicere non posse, nec in eorundem regularium ecclesiis, nisi speciale detur indultum; et quatenus ibidem celebrare velint, non alio modo, quam cum missali romano et juxta hujus rubricas celebrare teneri (3). Ideo Bened. XIV (4) præfectos regularium, qui missali romano non utuntur, admonet, ut pro exteris sacerdotibus illud in sacrario retineant, ne aliam, ac debent, missam celebrent, sed eam potissimum, quæ in missali romano præscribitur, si in eo propria illius sancti, de quo agitur, missa designetur; aliter vero de communi ejusdem sancti missam eligant, quæ pariter in missali romano adnotatur.

(1) Rub. tit. 10, n. 5.

(2) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 5381, 2.

(3) S. R. C. 26 Jan. 1664, n. 2112-2259; 13 Feb. 1666, n. 2699-2363, 4; 22 Maji 1683, n. 2874-3023.

(4) De sacrificio missæ s. 2, § 207.

3. Capellanos monialium et alios quoscumque sacerdotes qui celebrant in earundem ecclesiis, nisi sint ejusdem ordinis, non posse uti missalibus propriis ordinum, licet convenientibus cum ritu missalis Romani, neque celebrare missas proprias sanctorum variis ordinibus a S. R. C. concessas, licet superadditas missali romano, sed cum missali romano, et de communi, si in missali romano non sit de iis missa propria (1).

4. Regulares absque speciali privilegio, sola communicatione privilegiorum, non posse recitare missas aliis religionibus concessas (2).

Regulares tamen extra claustra degentes, missam celebrare possunt et debent juxta ritum ordinis proprii, et adhibere missale ejusdem ordinis (3).

5. Missas beatorum indultas certis presbyteris regularibus vel sæcularibus alicujus loci vel monasterii seu alicujus ecclesiæ servitio addictis, a confluentibus sacerdotibus minime celebrari posse (4) : quinimo sacerdotes, quibus missa beati indulta est, celebrantes in alia ecclesia, pro qua non est concessa, eandem dicere non posse, sed teneri se conformare ecclesiæ, in qua celebrant (5); nisi celebrent in oratorio privato, in quo missa cum officio concordare debet (6). Si in ecclesia officium fiat de Beato, et celebrans pariter de alio Beato officium habeat; alibi est celebrandum (7), nisi missæ celebratio sit necessaria in illa ecclesia, in quo casu celebrans se conformet ecclesiæ, in qua celebrat (8).

Not. 1º plura specialia indulta dicendi missas proprias

(1) S. R. C. 13 Feb. 1666, n. 2699-2363, 5; 24 Mart. 1696, n. 3234-3383; 11 Feb. 1702, n. 3468-3617, 3; 2 Ap. 1707, n. 3616-3765; 20 Nov. 1717, n. 3754-3904; dec. gen. 15 Jul. 1769, n. 4199-4348, 2.

(2) Dec. gen. 20 Mart. 1706, n. 3592-3741, 3.

(3) S. R. C. 27 Sept. 1873, n. 5561.

(4) Dec. gen. 27 Sept. 1659, n. 1855-2002, 6.

(5) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 4376-4526, 17.

(6) S. R. C. 16 Ap. 1853, n. 5183, 14.

(7) S. R. C. 11 Junii 1701, n. 3439-3588, 3; 17 Julii 1876, n. 5672, IV.

(8) S. R. C. 13 Ap. 1867, n. 5377.

ordinibus concessas existere, ut pro monialibus s. Benedicti quoad propriam hujus sancti missam (1). Hæc tamen privilegia non sunt extendenda, sed attendenda prout sonant (2). 2° Si in missali rom. non habeatur missa propria vel communis, correspondens missæ propriæ regularium aut monialium, item si agatur officium de beato; missam celebrandam esse de officio proprio celebrantis, si idem sit color paramentorum; secus vero alibi celebrandum (3). In casu autem, quo ageretur de missa propria alicujus festi B. M. V., posset dici una ex ejus votivis in fine missalis.

6. Si pro tota civitate, diœcesi vel regno missa quædam propria concessa sit; hæc ab aliis in eodem loco celebrari potest: quia privilegium in casu potius locum quam personas afficit, censetur concessum pro omnibus celebrantibus in illo loco, et quilibet potest se conformare legibus et consuetudinibus loci (4).

DE CONFORMITATE MISSÆ CUM OFFICIO ECCLESIAE.

96. Prænotandum, rationem conformationis missæ celebrantis cum officio ecclesiæ tantum obtinere in officio duplici aut æquivalente, quod excludit votivas et de *Requiem*; et 2° Cavalieri (5) ac quosdam alios censere, debitum conformationis tantum locum habere in ecclesiis, in quibus est usus chori, vel in quibus plures saltem sacerdotes quotidie celebrant, et non in aliis, nisi celebretur festum cum solemnitate et concursu populi: licet autem quædam decreta recitationem divini officii in ecclesia supponant, et pro ecclesiis, in quibus est usus chori, validior ratio conformationis existat; alia tamen decreta conformationem in duplici etiam præscribunt quoad ecclesias, in quibus usus chori certo non

(1) Dec. n. 4005-4154; Merati p. 1, tit. 14.

(2) S. R. C. 28 Dec. 1682, n. 2856-3005, 7.

(3) S. R. C. 11 Jun. 1701, n. 3439-3588, 3.

(4) Quarti p. 1, tit. 14, d. 2.

(5) Tom. 3, dec. 84 ad 2.

habetur, ut sunt illa, quæ infra citantur de oratoriis: ideoque dicendum est conformationem æquæ obtinere in ecclesiis, in quibus chorus non habetur: quod etiam praxis confirmat, cum in nulla ecclesia, in qua celebratur de duplici, paramenta nigra vel alterius coloris, quam festum ecclesiæ exigit, exteris sacerdotibus permittantur.

97. An sacerdos exterus habens aliud officium, in missa se conformare debet officio ecclesiæ?

R. 1° Sacerdos sive sæcularis sive regularis, supplens vicem absentis vel infirmi parochi seu rectoris, aut ecclesiæ addictus, deputatus seu vocatus ad satisfaciendum oneribus alicujus ecclesiæ, licet officium duplex 1 aut 2 classis habeat, debet suum prorsus negligere officium, et sese conformare officio ecclesiæ, cantando missam diei, votivam aut de *Requiem* ad formam et ritum ejusdem ecclesiæ (1). Hoc tamen tantum intelligendum est de omnibus et solis missis, in quibus quis vicem rectoris agere dicitur; quales sunt, quas rector qua talis, seu de jure aut ex consuetudine celebrare debet vel solet, et aliis sine ejus commissione celebrare non licet: tales sunt missæ cantatæ, lecta parochialis, exequialis, nuptialis et similes, non autem missæ privatæ, quæ occasione exequiarum et anniversariorum aut ratione missæ votivæ solemniter celebrantur (2).

98. R. 2° Quoad confessarios et capellanos monialium S. R. Congregatio (3) decreto generali declaravit « licere in » posterum tum confessario, tum capellanis tantum quarumcumque monialium servitio addictis missas sanctorum, de quibus ipsæ recitant officium, celebrare, sed cum » missali Romano, et de communi, non vero missas proprias » eorundem sanctorum variis ordinibus a S. C. concessas. » Hic a S. R. C. non indulgetur quod in omnibus licet eccle-

(1) S. R. C. 15 Dec. 1691, n. 3110-3259; 3 Oct. 1699, n. 3385-3534; 29 Jan. 1752, n. 4074-4223, 11.

(2) S. R. C. 7 Maji 1746, n. 4032-4181, 13; 16 Dec. 1828, n. 4497-4646, 23 Maji 1846, n. 4904-5050, 5.

(3) 1 Dec. 1717, n. 3754-3904.

siis, sed speciale privilegium confessario et capellano conceditur, scilicet sese conformandi officio monialium in casibus, in quibus in aliis ecclesiis non oporteret vel etiam non liceret. Quæ facultas non restringitur ad duplicia et æquivalentia, sed generaliter conceditur : unde sequitur confessarium et capellanum missam generaliter celebrare posse juxta monialium officium (1), etiam in casu disparis seu inferioris ritus (2). Quamvis autem in decreto declaretur, id tantum licere confessario et capellano, juxta alia tamen decreta (3) hoc extenditur ad omnes et singulos, qui ex debito missam conventualem in ecclesia ipsarum monialium celebrare tenentur, sive sint confessarii aut capellani, sive alii ecclesiæ monialium addicti aut ad hoc deputati, sive electi a monialibus aut ab aliis instituti : hi omnes missam conventualem celebrare possunt juxta ritum officii earundem monialium (4); adeoque in supposito quod hoc faciant, debent proprium prorsus negligere officium, missam conformem officio et in colore officii quod a monialibus in choro dicitur, recitare, omnesque facere commemorationes quas facerent, si officium monialium recitassent. Missam tamen ex missali Romano, ut n. 95 ad 3 notatum est, dicere debent.

Licet autem confessarii, capellani aliique missam monialium officio conformem celebrare valeant, non tamen tenentur, nisi 1° sit missa sollemnis seu cantata (5), 2° nisi sit duplex aut æquivalens, et color differat (6), et 3° nisi ex aliquo statuto aut consuetudine missa conventualis præscribatur (7). Extra hos casus *et possunt et debent missam celebrare respondentem officio proprio* (8).

(1) S. R. C. 7 Dec. 1844, n. 4859-5005.

(2) S. R. C. 18 Mart. 1702, n. 3473-3622, 2.

(3) S. R. C. 11 Jun. 1701, n. 3439-3588, 1; 11 Feb. 1702, n. 3468-3617, 3.

(4) S. R. C. 11 Jun. 1701, n. cit.

(5) S. R. C. 20 Nov. 1806, n. 4351, 12 et 13.

(6) S. R. C. 11 Ap. 1840, n. 4736-4883; 17 Sept. 1853, n. 5195.

(7) S. R. C. 7 Dec. 1844, n. 4859-5005. Vid. n. 14.

(8) S. R. C. 17 Sept. 1853, n. 5195. Notandum hoc decretum, ut patet, cum præcedente explicatione non omnino convenire : censeo autem verbum *debent* additum esse propter immemrabilem consuetudinem, cujus in decreti petitione fit mentio : quo verbo omisso, omnia conveniunt.

Notandum, cum in decreto generali habeatur *quarumcumque monialium*, facultatem ibidem concessam extendi ad ecclesias quarumcumque monialium, sive exemptarum sive ordinario subjectarum, modo sint veræ moniales, quæ ad chorum sunt professæ, et totum officium canonicum recitant; non tamen ad ecclesias seu oratoria illarum, quæ ad chorum non sunt professæ, de quibus idem dicendum est ac de oratoriis infra n. 100.

Alii sacerdotes ad monialium ecclesias accedentes, se gerere et conformare debent ac in aliis ecclesiis, ut mox dicitur (1).

99. R. 3° Extra duos casus præcedentes, sacerdotes exteri, sive sæculares sive regulares, sese conformare debent ecclesiæ, in qua celebrant : 1° quando ibidem festum celebratur cum solemnitate et concursu populi (2), modo ratio concursus sit, non dies dominica seu obligatio audiendi missam, sed ipsa festi solemnitas : 2° quando in illa ecclesia celebratur festum duplex aut æquivalens, quod excludit votivas, et color officii ecclesiæ diversus est a colore officii celebrantis (3).

Si autem in ecclesia, in qua celebratur, non peragatur festum cum solemnitate et concursu, et officium ecclesiæ atque celebrantis sit ejusdem coloris; sacerdos exterus suam missam numquam officio ecclesiæ, sed suo, quod recitavit, conformare debet, sive officium ecclesiæ et celebrantis sit æqualis sive inæqualis ritus (4).

Itaque 1° sacerdos habens officium semiduplex aut inferioris ritus, quod admittit votivas, celebrans in ecclesia, in qua fit de duplici sub alio colore, licet sine solemnitate et

(1) S. R. C. 11 Jun. 1701, n. 3439-3588, 2 et 3; 7 Dec. 1844, n. 4859-5005.

(2) S. R. C. 11 Jun. 1701, n. 3437-3586, 1; 29 Jan. 1752, n. 4074-4223, 10 et 11; 22 Mart. 1817, n. 4383-4533, 1.

(3) S. R. C. 4 Sept. 1745, n. 4026-4175, 8; 7 Maji 1746, n. 4032-4181, 13; 7 Sept. 1816, n. 4376-4526, 18.

(4) S. R. C. 22 Mart. 1817, n. 4383-4533, 1; 12 Nov. 1831, n. 4520-4669, 31.

concurso, non tamen potest legere votivam, quamvis in colore officii ecclesiae (1), quia officium ecclesiae, cui se conformare debet, prohibet missam votivam. Et similiter habens duplex, et celebrans, ubi fit de semiduplice aut æquivalente, etiam non potest dicere votivam (2), quia officium proprium, cui se conformare debet, excludit votivam.

Et 2º sacerdos habens officium duplex aut æquivalens, quod prohibet missam de *Requiem*, et celebrans in ecclesia, in qua est semiduplex aut inferioris ritus officium, quod missam de *Requiem* permittit: et vicissim habens semiduplex, celebransque ubi fit de duplici: in neutro casu potest legere de *Requiem*, in priori scilicet ob proprium officium duplex, nisi in ecclesia speciale habeatur privilegium (3), et in posteriori ob officium duplex ecclesiae, cui in colore se conformare debet (4). Id obtinet etiam in casu, quo in ecclesia celebrantur exequiæ, anniversaria aut aliud officium solemne defunctorum: ita ut sacerdos celebrans pro anima, pro qua fit officium, missam privatam de *Requiem* celebrare nequeat, si officium ecclesiae sit duplex, etiamsi proprium officium sit semiduplex aut ritus inferioris. Si tamen officium ecclesiae sit semiduplex, ac missam de *Requiem* permittat, et officium celebrantis duplex; dubitari potest, an huic missam de *Requiem* celebrare liceat, quia pro hoc casu diversa data sunt decreta: sic decernitur (5) missas privatas defunctorum a sacerdotibus, qui recitant officium de duplici, et accedunt ad ecclesias, ubi dicitur officium de semiduplici, in die obitus seu anniversario defunctorum, dici non posse: et contra (6) sacerdotibus, qui recitaverunt officium duplex, licere celebrare missam de *Requiem* in aliena ecclesia, ubi non dicitur officium duplex, et fiunt exequiæ vel anniversaria-

(1) S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 4955-5116, 3.

(2) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 4376-4526, 20; 16 Dec. 1828, n. 4497-4646.

(3) S. R. C. 5 Dec. 1868, n. 5419, 1.

(4) S. R. C. 9 Jun. 1668, n. 2287-2438; 7 Maji 1746, n. 4032-4181, 13; 16 Dec. 1828, n. 4496-4645, 6.

(5) 7 Maji 1746, n. 4032-4181, 13.

(6) 23 Aug. 1704, n. 3554-3703, 13, et 4 Mart. 1866, n. 5358, 3.

rium. Hujus ratio dari potest, quia dedeceret, quod in officio solemniori, in quo omnes de *Requiem* celebrant, unus vel alter se non conformaret.

100. Resp. 4º quoad oratoria. In oratorio privato missa semper concordare debet cum officio, quod quisque recitavit (1). Adeoque ibi celebrans potest legere votivam aut de *Requiem*, quandocumque suum officium permittit, licet in ecclesia parochiali, intra cujus districtum situm est oratorium, fiat de duplici. Solus excipiendus est dies festivus patroni loci, de quo in oratorio privato missa festiva celebranda est, quia hoc festum totum locum afficit.

De oratoriis autem publicis idem dicendum est ac de ecclesiis, et in illis missa celebranda est juxta calendarium romanum, diocesanum, aut regulare, prout oratoria pertinent ad sæculares aut regulares, et ab iis administrantur (2).

101. Quomodo celebrans in alia ecclesia illius officio, dum debet, se conformare tenetur?

R. Debet se conformare non tantum colori, sed et directorio illius ecclesiae, celebrando missam, quæ ibidem præscribitur, cum *Gloria*, *Credo*, præfatione et iisdem orationibus, ut in eodem directorio annotatur (3). Proprium igitur officium negligere debet, illiusque commemorationem facere non potest, nisi officium ecclesiae includat pluralitatem orationum, uti est dominicæ officium: et sic habens officium dominicæ infra octavam, et celebrans in alia ecclesia, in qua fit de dominica in colore viridi, addere potest commemorationem suæ octavæ, servata rubrica de duplici oratione in dominica infra octavam (4).

Quando autem celebrans in alia ecclesia, se conformare

(1) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 4520-4669, 31; 23 Maji 1835, n. 4602-4751, 1.

(2) S. R. C. 22 Mart. 1817, n. 4383-4533, 1 et 2; 16 Dec. 1828, n. 4496-4645, 1 et 2.

(3) S. R. C. 11 Jun. 1701, n. 4337-4586; 7 Maji 1746, n. 4032-4181, 43; 16 Ap. 1834, n. 4576-4725, 2; Merati t. 1, tit. 1; Cavalieri t. 3, in append. post. dec. 68, dec. 2.

(4) Dec. cit. 11 Jun. 1701, ad 4.

non tenetur; se conformare non debet, neque quoad *Gloria* aut *Credo*, neque quoad commemorationes aut alia : conformitatis tamen ratione symbolum addere potest in missa propria, dummodo non sit addendum ratione insignis reliquiæ (1).

Titulus XV.

DE HORA CELEBRANDI MISSAM (PRIVATAM).

Rub. 1. Missa privata saltem post Matutinum et Laudes quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest.

102. Annotatur I. Requiritur et destinatur tempus ab aurora usque ad meridiem, quia homines ante hoc tempus non sunt satis dispositi ad instructiones percipiendas, et divina mysteria debita cum devotione veneranda; tum quia offertur Christus Dominus, qui est lux mundi et candor lucis æternæ, et ipse in medio die oblatus fuit : non differtur autem post meridiem, non tantum quia requiritur jejunium naturale, sed etiam ut tollantur confabulationes aliæque irreverentiæ post meridiem sequi natæ.

II. Per auroram intelligitur non ortus solis, sed tempus illud, quod est medium inter noctem et diem, seu inter tenebras et ortum solis; quod initium sumit, quando aurora apparere incipit, seu prima claritas per terram diffunditur. Hoc autem præcedit ortum solis, plus minusve juxta temporum locorumque varietatem. Gavantus (2) plures tabulas pro initio auroræ cognoscendo proponit, inter quas sequens ad latitudinem 51 graduum Belgio convenit.

(1) S. R. C. 11 Ap. 1840, n. 4731-4878, 6.

(2) In append. ad rub. missalis, p. 5.

JANUARIO.

Die	hora	cum minutis.
3	5	58
9	5	54
15	5	49
21	5	43
26	5	37

FEBRUARIO.

1	5	30
7	5	21
13	5	12
19	5	1
25	4	51

MARTIO.

3	4	39
9	4	27
15	4	18
21	4	2
27	3	48

APRILI.

2	3	33
9	3	19
15	2	59
21	2	42
27	2	24

MAJO.

3	2	5
9	1	45
15	1	22
21	0	49
28	0	0

a 26 Maji usque ad 19 Julii
aurora seu lucis crepuscu-
lum non cessat.

Tom. 1.

JULIO.

Die	hora	cum minutis.
24	0	51
30	1	22

AUGUSTO.

5	1	45
11	2	6
18	2	29
24	2	45
30	3	2

SEPTEMBRI.

5	3	19
11	3	33
18	3	50
24	4	10
30	4	18

OCTOBRI.

5	4	28
11	4	40
17	4	52
23	5	2
29	5	12

NOVEMBRI.

5	5	22
11	5	32
17	5	38
23	5	45
29	5	50

DECEMBRI.

5	5	55
11	5	58
17	6	3
22	6	4
28	6	3

10